



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Cultus diuinus debet omni superstitione carere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

sint non solum ad discernendum inter superbiam consummatam & imperfectam, sed pro confessoribus personarum volentium proficere ad vitam spiritalem: quandoquidem redeuntibus ad Deum quod ultimum relinquendum superest peccatum, superbia est: difficillime enim eruditur.

*Cultus diuinus debet omni superstitione carere.*

**S**upersticio qua circa diuinum cultum erratur, peccatum est: ut patet. Sed quia quatuor species ipsius duæ sunt tractatae (scilicet diuinatio & idolatria) nunc reliquæ duæ, quæ sunt indebitus cultus veri Dei, & obseruatio quarundam rerum actuum, temporum, locorum &c. tractandæ sunt. Supersticio igitr exhibens vero Deo indebitum cultum, dupliciter inuenitur. Aut enim exhibet cultum indebitum, quia perniciosum, aut quia superfluum. Scriptum est enim. Veri adoratores adorabunt in spiritu & veritate. Cultus perniciosus est contra veritatem cultus superfluus recedit à spiritu. Est autem cultus perniciosus contra fideli veritatem, non solum si quis Iudaicis ceremoniis modo coleret Deum significatis Christum incarnandum: aut Mahometano ritu coleret Deum (ut pote in persona Ecclesiæ faciens contra ordinationem Ecclesiæ, ac per hoc falsarius in cultu) sed etiam si quis falsas sanctorum reliquias edendas proponit. Offerentes quoque votivas statuas seu imagines miraculorum seu beneficiorum falsorum Crucifixo seu beatæ Virginis imagini lucri gratia (ut scilicet inde prouocati alii ad offerendum similia concurrant aut emant) superstitionem falsi cultus diuini incurruunt: quia falsus est hic cultus, ut pote significans quod non est. Et peccant mortaliter, quia irreuerentiam notabilem Deo inferunt in actu

In actu colendi Deum, quantum est ex natura actus.  
Quamuis enim ex intentione offerentium non fiat  
machinatio contra diuinam reuerentiam, sed ad lu-  
crum vel aliquid huiusmodi: ex natura tamen operis  
contra diuinam agitur reuerentiam. Sicut enim in  
periurio inducitur ex natura actus Deus, quasi testis  
falsitatis, quamuis perjurans non credat Deum testi-  
ficiari falsum, nec intendat quod Deus attestatur (quia  
attestatur contra ipsum periurium) ita hic supersti-  
tiosus vtitur Deo tanquam colendo falsitate seu fal-  
so cultu, quantum est ex natura cultus: quamuis sciat  
quod Deo non placet, nec intentat Deum, sed homi-  
nes fallere. Et propterea sicut ibi est peccatum mor-  
tale ex suo genere: ita & hic.

Supersticio autem diuinum cultum indebitum  
quia superfluum exhibens, si contemptus & scanda-  
lum defigit, peccatum est communiter veniale: quia non  
contra, sed præter diuinam reuerentiam hoc est. Et  
appellatur cultus superflius secundum se quicquid in  
eo sit non ordinatum ad interiorem cultum qui est  
cultus spiritus. Vnde actiones aut iucunditates qua  
solum ad exteriora utiles essent, ad superfluum cul-  
tum spectant. Secundum vero statuta Ecclesiastica  
quicquid in eo dicitur aut sit supra rubricas seu sta-  
tuta: ut si dicatur bis alleluia ubi semel scriptum est:  
& si sit in Missa crucis signum ubi non mandatur  
sieri: & si plures acolythi aut cantores quam conve-  
num sit, parentur.

*Observationum supersticio potest esse  
quadruplex.*

Supersticio autem observationum quadrifariam  
partita est. Et prima est supersticio observationum  
artis notioræ: qua certa ieunia & orationes  
hunc secundum instituta illius artis ad acquirendum

K k 3      Scien-